



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VII. In quo ponenda sit essentia quantitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

quatenus substantiales sunt tales partes, quæ extensio vocatur ab aliquibus transcendentalis, aut entitativa, negamus esse effectum formalem accidentalem, ut supra probatum manet; itaque habere partes extensas includit & ipsas partes, & extensionem earum habere partes præcise non est effectus accidentalis; quia materia prima quatenus substantia realis corporea est, habet illas secundum suum esse, & ab illis substantialiter constituitur in tali esse; unde substantiale quid est; ut ex dictis supra patet; quod autem istæ partes substantiales sint extensæ est accidentalis effectus proveniens ab extensione actuali, quæ est forma accidentalis modalis in ultima actualitate consistens; sicut parietem habere partes non provenit ab albedine; quod autem partes, & totus paries sit albus, hoc provenit ab albedine; ad consequentiam negamus suppositum quod sola quantitas sit accidens extensum faciens, à quo possit provenire extensio accidentalis; imo ipsa quantitas per suam entitatem actualiter, non facit extensum, ut videtur est in quantitate Christi, quæ licet in Eucharistia detur tota, quæ in cælo est, non reddit Christum extensum actu in ordine ad locum; unde alia forma accidentali modo indiget ipsa quantitas, ratione cuius actu extendatur; cum talis forma in actuali extensione consistat: dupliciter enim potest esse extensa, primo præsentialiter, & actualiter, & hoc esse extensum non provenit à quantitate, sed ab ubi, vel situ cuiuscunque rei circumscriptivo; ratione cuius pars est in parte loci, & totum in toto loco, alia datur quantitativa, & secundum molem; quæ dubio sequenti explicatur, & hoc extensum provenit à quantitate.

Ad sextum nego antecedens; ad primam probationem antecedentis respondeo, concedendo primam partem maioris; ad secundam distinguo: omnis distinctio provenit ab actu physico, nego, metaphysico, concedo; hæc enim materia prima distinguitur à materia prima Ioannis, & nihilominus non distinguitur per actum physicum: sed per actum metaphysicum; id est per propriam entitatem, & per differentiam individualement huius materie. Ita similiter materia prima habet distinctas realiter partes, quia tales partes etiam ex se habent differentias individuales, ratione quarum realiter inter se differunt: unde distinguo etiam minorem, materia prima nullum habet actum physicum; quia physice est pura potentia, concedo; nullum habet actum metaphysicum, nego. Ad secundam probationem primo nego maiorem, & ratio est, quia licet omnes partes sint penetratæ, & una sit intra aliam distinguuntur; corpus enim Christi penetravit Cælos ut ait Paulus, & iterum virgineum, ut docet fides, & secundum communem sententiam Theologorum corpora Beatorum sunt penetrata cum substantia Cæli Empyreæ; neque sunt extra ipsum, & nihilominus Corpus Christi distinguitur à corpore, & utro virgineo; & Beati distinguuntur à cælo, imo identitas tollit penetrationem, quia idem non se penetrat: ergo distinctio partium non est unam partem esse extra aliam. Ad minorem distinguo, cum impenetrabilitate, concedo, ut postea explicabo.

Ad septimum concedo maiorem, & nego minorem; si de alia distinctione sit sermo, quam de illa, quæ provenit à radice impenetrabilitatis, & ad probationem minoris postea videbis quo pacto su-

matur impenetrabilitas pro passione quantitatis; ad ea autem, quibus probatur divisibilitatem coniungi propinquius cum quantitate dicendum est falso procedere, ut constat ex nostra probatione, saltemque esse causalem illam, cum divisibilitas potius oriatur ex impenetrabilitate, quam è contra.



QVÆSTIO VII.

In quo ponenda sit essentia quantitatis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit, essentiam quantitatis sitam esse in potentia illius ad recipiendam cætera accidentia; ut autem suam sententiam probabilem reddant hi auctores, comparant quantitatem cum materia prima, & asserunt, quod sicut essentia materie primæ collocatur in potentia ad recipiendas formas substantiales; ita essentia quantitatis quæ cœva est materie primæ, sita est in potentia ad recipiendas formas accidentales; unde sicut datur unum primum principium materiale, à quo educuntur illæ formæ substantiales, & in quo immediate recipiuntur; Ita datur aliud primum principium accidentale, à quo educuntur formæ accidentales, & in quo immediate recipiuntur: hæc sententia à me primo inventa, mihi non placet; quæ ab aliquibus maxime approbata probatur sic.

Primo; nam in Eucharistia non datur substantia panis, & nihilominus educuntur accidentia, sicut quando dabatur talis substantia, & recipiuntur in quantitate sicut antea: ergo quantitas est potentia natura sua recipiens formas accidentales sicut essentia materie primæ est potentia recipiens formas substantiales: sed essentia materie primæ est potentia ad illas recipiendas; ergo similiter potentia ad recipiendas formas accidentales est de essentia quantitatis.

Secundo, quia passio, seu attributum proportionatur cum essentia à qua dimanat, ut videtur est in infinitate respectu essentiae divinæ, in risibilitate respectu rationalitatis; atqui quantitas est passio materie primæ; ergo sicut ipsa essentialiter est potentia ad recipiendas formas substantiales; ita quantitas essentialiter erit potentia ad recipiendas formas accidentales.

Secunda sententia tenet extensionem formalem in ordine ad locum, quæ impenetrabilitas vocatur esse essentiam quantitatis, eiusque formalem effectum primum esse ita extendere substantiam, ut duæ partes non possint esse simul in eodem loco ex natura rei. Probatur primo extensio partium substantiæ in ordine ad se non potest provenire à quantitate: ergo primarius effectus quantitatis est extensio in ordine ad locum; antecedens probatur, Deus potest conservare substantiam corpoream sine quantitate extensam in eodem loco, in quo sub quantitate existeret; sed in illo casu partes substantiæ essent ordinatæ, & extensæ in ordine ad se, non secus ac erant sub quantitate.

titate: ergo ordo partium substantiae in ordine ad se non provenit à quantitate; maior probatur à simili, quia potest Deus conservare duas substantias corporeas sine quantitate in diversis locis: ergo potest servare duas dimidietates eiusdem substantiae, & eas retinere in duobus partibus spatio, siue loci, in quibus antea erant: ergo potest conservare totam substantiam in eodem loco, minor probatur, quia ordo partium inter se nihil aliud est, quam caput v. g. esse immediate vnitum collo, & non pectori, collum pectori, & non cruribus, &c.

Dices, in instanti, quo separatur quantitas à substantia confundi fere omnes partes substantiae; ita ut caput iam non sit immediate vnitum collo; sed quamlibet partem cum alijs partibus, totamque substantiam tunc suae naturae relictam fluere ad punctum indivisibile.

Contra, fluxus substantiae ad punctum non potest fieri in instanti: ergo dum non accedit ad punctum currit extensa; ponamus enim punctum, ad quod sit fluxus, esse centrum corporis triginta palmorum: tunc extremae partes, ut perveniant ad punctum centri percurrere debent totum illud spatium: ergo deferuntur per motum; sed motus non potest fieri in instanti: ergo nec fluxus ille; nam substantiam esse expoliatam quantitate nihil confert ad motum in instanti decurso spatio, & medio, cum Angeli in tempore moveantur licet sint expertes quantitatis, neque possint de extremo ad extremum moveri sine medio in instanti.

Secundo probatur; extensio totius non potest provenire à quantitate, vel formaliter, vel efficienter: ergo nullo modo; non efficienter, quia quantitas est causa formalis, causa autem formalis non efficit, neque extra se producit, sed seipsam communicando causat suum effectum. Non formaliter, quia ordo partium consistit in unionibus ita dispositis ut una sit inter collum, & caput; alia inter collum, & pectus, &c. sed quantitas non potest causare istas uniones in substantia: ergo ille ordo extensionis in ordine ad se non est effectus formalis illius; minor probatur, quia si quantitas illas uniones causaret, deberet esse interposita inter partes substantiae uniendo illas, & distinguendos quod plane fictitium est; nam partes substantiales seipsas uniantur.

Ultimo, quia si substantia non haberet ex se partium extensionem, repugnet illi ex se dividi in partes: ergo nec per quantitatem advenientem posset dividi in partes; repugnat enim quod per se est tale, exerceri non per se, sed per aliquid adveniens.

Tertia sententia tenet essentiam quantitatis esse extensionem in ordine ad se, & non in ordine ad locum; probatur primo, quia extensio localis, seu impenetrabilitas in ordine ad locum non potest oriri, nisi ab illa extensione partium in ordine ad se, ideo enim Angelus non habet extensionem secundum partes in ordine ad locum, quia non est extensus in ordine ad se: ergo prior conceptus, & veluti radix aliorum in quantitate est extensio partium in ordine ad se.

Secundo nulla forma existens unita proprio subiecto sine suo effectu formali potest esse; sed quantitas potest esse substantiae unita sine extensione locali cum sola extensione in ordine ad se, ut patet in Eucharistia, ubi Christus Dominus habet sub quantitate extensionem in ordine ad

se, non vero extensionem localem, ut omnes Theologi sentiunt; nam partes Christi Domini non sunt ita confusae ut ordine careant; sed ita ordinatae manent ut caput sit extra collum & collum extra pectus, nulla habita ratione loci: ergo extensio in qua consistit essentia quantitatis non est extensio in ordine ad locum: sed in ordine ad se.

Ultimo, quia si substantia haberet extensionem in ordine ad se, in ordine ad se esset impenetrabilis; quemadmodum quantitas: ergo si extensio sumatur pro impenetrabilitate, siue pro serie partium in ordine ad se, non provenit à quantitate, quod est falsum in omnium opinione. Antecedens probatur, quia ideo partes quantitatis non penetrantur inter se, quia una est extra aliam: sed ideo una est extra aliam, quia est extensa in ordine ad se: ergo si substantia praecisa quantitate est extensa in ordine ad se, est impenetrabilis in ordine ad se; probo hanc ultimam minorem, quia extensio in ordine ad se excludit unam partem ab alia; ergo excludit, ne penetraret cum illa; ergo ideo est impenetrabilis, quia est extensa in ordine ad se.

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur varijs conclusionibus.

Prima conclusio: essentia quantitatis non est potentia ad recipiendas formas accidentales: probatur primo, quia si quantitas esset essentialiter potentia receptiva accidentis esset essentialiter entitas incompleta, & non poneretur directe in praedicamento; sed quantitas non est ens essentialiter incompletum: sed completum accidens, ac proinde ponitur directe in praedicamento, ut experientia ostendit manifeste; totum enim secundum praedicamentum quantitatis est in quo solum quantitas ponitur: ergo quantitas non est essentialiter potentia receptiva ceterorum accidentium, v. g. qualitarum. Maior sic probatur exemplo materiae primae, quae ideo essentialiter incompleta est, quia essentialiter ordinatur ad recipiendam formam, & ratio evidens est, quia ordinatio ad recipiendum est ordinatio ad unendum se cum altero; quod recipit: sed unio est compositio: ergo essentialiter ordinatur ad componendum: sed quod essentialiter ordinatur ad componendum est pars essentialiter, ut patet ex definitione partis essentialis, & pars essentialis est essentialiter incompleta entitas: ergo de primo ad ultimum, quod essentialiter ordinatur ad recipiendum est essentialiter entitas incompleta: minor illa manifesta est, quia praedicamentum componitur ex entibus completis essentialiter ut patet ex conditionibus supra positis circa res aptas ad constituendum praedicamentum, & licet verum sit quod accidens in praedicamento collocatum comparatum cum substantia vocetur aliquomodo incompletum; attamen comparatum cum alio accidenti, quod ex natura sua essentialiter ordinatur, ut sit pars alterius accidentis, vocatur ab omnibus completum, & in hoc ultimo sensu concludit nostrum argumentum fore quantitatem incompletam, si ordinetur essentialiter ad componendum, quod est absurdum, ut patet ex dictis.

H h h 3 Confr

Confirmatur omni potentia passiva, & receptiva correspondet actus formalis illi proportionatus, quia potentia passiva essentialis est relativa transcendentaliter petens ex sua natura actum terminantem talem relationem; talis autem actus est forma per se, & essentialiter ordinata ad componendum unum per se absolute, & simpliciter: nam si potentia passiva est pars essentialiter, petit essentialiter aliam partem essentialem; pars enim à natura constituta est, ut componat totum; atqui sola una pars non potest componere totum; quia compositio non datur, nisi inter duas partes; unde si potentia passiva à natura est pars, debet illi à natura provideri de alia parte in eodem genere, ut possit dari compositio totius; sed pars, seu compar correspondens potentia passiva est forma: ergo si quantitas est potentia passiva essentialiter incompleta, respiciens tanquam partem formas accidentales, ut sunt qualitates, &c. tales qualitates erunt essentialiter partes componentes; atque adeo qualitates, & cetera accidentia erunt essentialiter incompleta; sicut materia, & forma substantiales; unde nullum prædicamentum erit præter substantiam, cum cetera præter substantiam ex quibus possent constitui alia vique ad decem sint incompleta entitates essentialiter, ex quibus ut sic non potest componi prædicamentum.

Secundo probatur principaliter; quia ex opposita sententia sequeretur compositum ex quantitate, & qualitate esse ita rigorose, & essentialiter unum totum per se sicut homo, &c. sed hoc à nullo conceditur, sed potius tanquam maximum absurdum reiicitur: ergo. Sequela sic probatur, quia ideo homo est simpliciter, & absolute unum ens per se, & essentialiter, quia componitur ex potentia, & actu incompletis essentialiter ordinatis inter se: sed quantitas essentialiter ordinatur per vos ad componendum unum cum qualitate quæ etiam secundum omnium sententiam essentialiter ordinatur ad componendum cum quantitate ipsum totum; omne enim accidens ordinatur essentialiter ad inhaerendum proprio subiecto, & ideo aptitudinalis inhaerentia in subiecto est de essentia accidentis: sed inhaerentia est unio, & unio compositio: ergo omne accidens, si sit qualitas, &c. ordinatur essentialiter ad componendum cum suo subiecto; quapropter, si alio ex capite etiam subiectum immediatum ordinatur essentialiter ad componendum unum totum; illud totum, quod ex eis resultat, erit unum ens per se essentialiter sicut homo, &c.

4. Secunda conclusio: extensio actualis partium, quæ actualis impenetratio dicitur, ratione cuius una entitas expellit à suo loco aliam, non est de essentia quantitatis, sed potius distinguitur realiter à quantitate; probatur primo, quia Deus salva essentia quantitatis potest efficere, ut una pars quantitatis penetraret actualiter cum alia, & non excludat à suo loco illam: ergo talis impenetratio, & extensio actualis non est de essentia quantitatis; patet consequentia, quia quod est de essentia alicuius non potest separari ab illo, de cuius essentia esse persistente illo, ut v.g. rationale non potest separari ab homine, neque materia à toto physico, quia sunt de essentia illius: sed impenetratio separatur à quantitate manente eadem; ergo impenetratio actualis, seu extensio dicta non est de essentia quantitatis.

Confirmatur, quia non repugnat, ut totum aliquod quantum sit indivisibiliter in ordine ad locum, ita ut totum quantum sit in toto loco, & totum etiam in qualibet parte eius; sed tunc quantitas servaret suam essentiam, & naturam, & tamen non esset extensa actualiter in loco, nec alteram à suo consortio expelleret: ergo actualis extensio partium in loco actualisque repugnantia, & exclusio alterius partis ab illo, non est de essentia quantitatis.

Hæc impenetratio est effectus proprius quantitatis, & ideo ab illa sola naturaliter provenit, & non ab alia, quia sola quantitas potest efficere, ut partes aliquæ ita sint inter se extensæ, ut si dividerentur in eodem loco non admiraretur, quare si divisus separaretur quantitas à substantia, partes integrantes, seu entitative substantiæ non manerent actu, illo modo extensæ in loco; quia una altera secum compateretur in eadem parte loci, quod non debet ita intelligi, ut statim supposita tali separatione, omnes partes substantiales confluerent ad eundem locum, quia probabilius existimo in illo casu partes substantiales si (alter à Deo non disponentur) permanisuras extensæ, sicut antea, hoc tamen discrimine, quod antea ratione quantitatis erant extensæ impenetrabiliter, post separationem vero quantitatis à substantia partes substantiæ haberent præsentiam divisibilem, & extensam; non tamen ex se resisterent confluxui aliarum partium ab eodem loco, quare si à Petro conservato in rerum natura divinitus tolleretur quantitas, existimo partem substantialem capitis diversam præsentiam ad distindam partem loci habituram ab ea, quam haberent pedes, & pectora; moveor quoad hoc asserendum cum Suariorum; quia non est ratio aliqua, quæ cogat affirmare in illo eventu totum Petrum, & partes integrantes eius debere necessario confluere ad punctum, imo plurima videntur illi confluxui ob stare, de quibus videatur ipse Suarez.

Deinde etiam; quia cum substantia Petri, & eius substantiales partes integrantes diversam habeant præsentiam divisibilem ad locum à præsentia illa etiam divisibili partium quantitatis, non est cur tanta ponatur dependentia, & connectio inter eas, ut deperditæ præsentia quantitatis per separationem huius à substantia, altera etiam præsentia propria substantia deperdat.

Dixi supra partes illas substantiæ esse consortium aliarum partium in eodem loco non refugituras; quia hæc repugnantia est propria partium quantitatis, quæ natura, & quidditate sua postulat impenetrabilitatem earum inter se; unde absolute loquendo quantum est ex se non magis possunt partes integrantes substantiæ ita esse, ut una sit extra aliam media præsentia simplici divisibili in spatium divisibile, quam præsentia indivisibili inter se in puncto complicari, est tamen magis rationi conforme rerumque naturis magis accommodatum, ut post separationem quantitatis à substantia corporea retineat hæc præteritam præsentiam simplicem divisibilem sibi propriam, quam quod in punctum confluant ob rationes dictas.

Tertia conclusio: essentia quantitatis est forma tribuens substantiæ corpulentiam seu molem corpoream; itaque ipsa ratio molis corporeæ, seu corpulentia est essentia, & quidditas illius, & quia tota essentia formæ est in ordine ad effectum formalem primum, ideo tribuere molem corpoream

ream dicimus, esse essentiam quantitatis; quid autem sit molis corporea, non potest explicari (vt bene adnotat P. Suarez *disp. 40. sect. 4. n. 16. 2. tom. metaphys.*) nisi in ordine ad extensionem occupativam loci vt in ordine ad primam quasi rationem attributalem convenientem quantitati, quia fere nunquam nos rerum essentias prout in se sunt, explicare possumus, & ideo per ordinem ad aliquam proprietatem, quae sit prima omnium, & proximior essentiae ipsius rationem manifestamus; v. g. essentiam hominis non possumus vt in se explicare, & sic in ordine ad rationalitatem declaramus; quae rationalitas formaliter sumpta est potentia ad ratiocinandum, ac per consequens est intellectus ipse (non enim datur alia potentia formalis ad hunc effectum praeter intellectum) & ideo non potest essentia hominis, quia intellectus est accidens, & accidens non est de essentia substantiae, quia autem haec potentia est omnium homini convenientium prima, ipsiusque essentiae proxima; ideo quidditatem ipsius in ordine ad talem potentiam explicamus.

Sic similiter essentia quantitatis, quae molis corporea est aut corpulentia, a nobis explicatur in ordine ad extensionem occupativam loci; quia omnium quantitatis proprietatem prima est; haec extensio in hoc sita est vt res, quae illa afficitur, ita disposita sit, vt debeat ipsi occupare distinctum locum ab eo, quem occupat alia entitas affecta etiam quantitate; vnde ratione talis occupationis removeat aliam a suo loco, & non possit esse cum alia simul in illo, etiam si supernaturaliter in eodem loco poni cum alia non repugnet; v. g. partes corporis Christi in Eucharistia non occupant actu locum, nihilominus tamen ex sua natura petunt illum occupare.

Haec conclusio sic explicata probatur, quia illa est essentia rei, quae primario constituit ipsam; sed molis corporea in ordine ad extensionem occupativam loci est huiusmodi: ergo est essentia quantitatis. Minor sic probatur, quia illa est prima ratio constitutiva alicuius, quae recipitur cum ipso, & est principium, ex quo omnia attributa seu passiones dimanant; sed molis corporea in ordine ad extensionem occupativam loci recipitur cum quantitate, & ideo est verum dicere, est quantitas: ergo molis corporea, est molis corporea: ergo quantitas; & ex ipsa mole corporea oriuntur ratio mensurae, divisibilitas, &c. ideo enim aliquid est divisibile, secundum partes, & secundum easdem potest sumi, vt mensura, quia habet extensionem partium occupativam loci impenetrabilem; quia primum est habere partem extra partem repellentem aliam entitatem a suo loco, quam esse divisibilem in proprias partes; quapropter si substantia denudata a quantitate poneretur, non posset dividi naturaliter, quia penetraretur cum re, quae intenderet divisionem illius; Item punctum nec per potentiam Dei absolutam potest dividi, quia nullas habet partes extensas, & impenetrabiles, quam veritatem confirmare possumus omnibus argumentis, quibus supra probavimus rationem mensurae, & divisibilitatis quantitatis.

Secundo probatur, quia nulla ratio potest assignari praeter hanc extensionem in ordine ad quam, tanquam in ordine ad primam rationem possit definiti molis corporea: ergo

haec est propria essentia illius. Antecedens sic probatur, quia si aliqua prior ratio posset assignari in quantitate maxime tribuere extensionem partium in ordine ad se; sed hanc habet substantia ex se: ergo non potest assignari vt propria quantitatis. Minor sic probatur; quia sicut tota substantia supponitur toti quantitati, tanquam causa materialis eius, ita partes substantiae partibus quantitatis: ergo sicut ipsa quantitas non tribuit esse substantiae, ita etiam non tribuit illi partes, & extensionem illarum in ordine ad se; quia quod supponitur, est prius, & quod est prius non causatur a posteriori; ergo quemadmodum substantia supponitur alicubi ad recipiendam quantitatem, ita partes supponuntur alicubi, & quemadmodum tota vna substantia supponitur extra locum alterius totalis substantiae; sic similiter ita supponi debent partes eius vt vna sit extra locum alterius distincta; quare si quantitas debet esse in loco pedali, in eodem praesupponitur extensa substantia, cum in eodem habeat partem extra partem; quatenus continet vnam partem extra locum alterius: ergo dare extensionem in ordine ad se non est effectus proprius quantitatis.

Dices, substantiam indifferentem supponi ad essendum in tanta, vel tanta extensione, & per quantitatem formaliter determinari.

Contra, quia quantitas non est substantiae formalis ratio existendi in tanto, vel tanto loco; nam si Deus separaret quantitatem a substantia mea, ipsa substantia esset potius hic, quam Roma ex se, & alioqui est illa posterior: ergo praesupponit illius extensionem in loco; quae cum sit posterior extensione intrinseca, & ordine partium, manifeste convincitur intrinsecam substantiae extensionem antecedere quantitatem. Confirmatur, quia nulla vnio substantialis causatur a quantitate, neque effective, nec formaliter inter partes substantiae, quia vnio substantiarum est entitas substantialis, & quantitas est entitas accidentalis; accidens enim non attingit gradum substantiae. Deinde sequeretur substantiam compositam esse ens per accidens, quia vniretur mediante accidenti quod non est dicendum; ergo sicut tota substantia supponitur ante quantitatem, ita vnio partium eius supponitur ante illam: sed substantia capitis est substantia liter vnita substantiae colli, & non substantiae humerorum: ergo talis vnio praesupponitur, & non tribuitur a quantitate; sed talis vnio cum ordine dicto est extensio in ordine ad se: ergo substantia ex se, & non a quantitate habet extensionem in ordine ad se: Minor sic probatur, quia nihil aliud est habere talem extensionem, nisi vnam partem non esse immediate unitam ad omnes, sed potius immediate ad vnam, & mediante illa ad alias, vt videre est in ipsa quantitate, quae quia taliter vnitas habet partes, dicitur habere extensionem in ordine ad se: sed substantia capitis mediante vnione substantiali, ita se habet ad substantiam colli, vt immediate illi vnietur, & mediante illa ad substantiam humerorum: ergo substantia illa est extra substantiam humerorum: ergo extra locum illius substantiae.

Ultimo sic probatur, quia experientia constat solum duas quantitates, aut duas res affectas quantitate nunquam esse simul in eodem loco, cum tamen possint esse simul extra entia, quae

ex

Quæst. VIII. Vtrum linea, & superfi, &c. 517

At ad formalem effectum quantitatis, & non reperitur in corpore carente quantitate. Quarto addi potest ut esse extra dicat actuale situm localem, quantitativum, & hoc spectat ad prædicamentum ubi, aut situs ut postea videbimus.

Vnde falsum etiam sensu, quod partes substantiæ materialis quantitate privata necessario maneat confusa, & inter se omnes immediate copulatæ quoad substantialē unionem, licet enim demus ita fieri posse si Deus velit, tamen quod ex necessitate ita futurum sit nulla verisimili ratione suaderi potest. Itaque existimosi Deus corpus humanum sine quantitate servet, & nullum addat miraculum, vel extraordinariam mutationem fore, ut substantia manus sit immediate coniuncta substantiæ brachij, & non capitis, & sic de cæteris, nam iuxta veram sententiam partes substantiales integrantes hanc substantiam non uniuntur immediate per superficies quantitativas, sed proprio nexu, & vinculo substantiali ut patet ex supradictis; cum ergo ab eis separatur quantitas, retinere possunt eandem unionem substantialem, quam inter se antea habebant nulla unionem nova inter eas facta; ergo quæ antea uniabantur immediate ita postea manebunt, quæ vero solum uniabantur interventu aliarum partium, conservabuntur tali modo unitæ.

Quo fit ut si ordo partium in toto solum entitative, & substantialiter sumatur non pertineat ad effectum formalem quantitatis, sed ad ipsammet substantialem compositionem talis rei, sicut ordo graduum in qualitate à primo v.g. ad octavum non est effectus alterius rei, sed pertinet ad intrinsecam integritatem talis entitatis, cum ergo Auctores dicunt ordinem partium in toto effectum esse formalem quantitatis, intelligendum est de tali ordine, ratione cuius ex natura rei partes illæ necessario sunt impenetrabiles, qui vno verbo dici potest ordo quantitativus.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum linea, & superficies sint propria species completae Quantitatis?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit lineam, & superficiem esse completas species quantitatis, eo modo quo corpus, & probatur sic.

1. Primo essentia quantitatis est extensio partium, quæ est radix impenetrabilitatis: sed linea, & superficies habent extensionem propriam, quæ sit radix impenetrabilitatis non minus, ac corpus; ergo sunt species completæ quantitatis non minus, ac illud; probatur minor, linea est extensa, & divisibilis secundum longitudinem, & repugnat ut partes eius commensurentur puncto loci, quod idem est de superficie; ergo participant propriam rationem extensionis, &c.

2. Secundo quæ sub aliquo genere distinguuntur essentialiter sunt species essentialiter distinctæ: R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sed linea, superficies, & corpus sub genere quantitatis continuæ distinguuntur essentialiter; ergo, &c. Probatur minor; prædictæ species conveniunt in ratione quantitatis, & differunt secundum diversas rationes illius; ergo sunt diversæ species quantitatis; probatur antecedens, quantum ad secundam partem, linea est quanta, & extensa secundum longitudinem, superficies secundum latitudinem, corpus secundum profunditatem, latitudo autem, longitudo, & profunditas distinguuntur essentialiter; ergo linea, superficies, & corpus differunt secundum diversas rationes formales quantitatis.

Tertio, si linea, & superficies non essent species completæ quantitatis non daretur prædicamentum quantitatis: sed hoc est falsum; ergo illud ex quo sequitur: probatur sequela, si linea, & superficies non essent species completæ quantitatis, non daretur genus quantitatis, sed ubi non datur genus non datur prædicamentum; ergo non daretur prædicamentum quantitatis; probatur maior, non sunt dables aliæ species propriæ quantitatis præter corpus supposita sententia contraria, sed genus necessario requirit plures species; ergo non daretur genus. Deinde probatur illa minor, quod non daretur prædicamentum, prædicamentum est coordinatio generum, & specierum, sed ubi nullum datur genus, non potest dari talis coordinatio; ergo non potest dari prædicamentum.

SECTIO II.

Aligua notantur.

VT intelligatur quid sint linea, superficies, &c. corpus debemus concipere, ut adnotat Divus Thomas, opusculo 48. tract. 3. cap. 3. Punctum tanquam separatum à linea, lineam à superficie, & tandem superficiem tanquam divisam à corpore, non realiter sed conceptibiliter; illud vero punctum separatim fingamus duci per planum, tunc ex tali ductu remanebit vestigium, nec latum, nec profundum sed præcise longum, & hoc vocatur linea: si autem vestigium illud versus latera extendatur, & moveatur, relinquet aliud non solum longum, sed etiam latum vestigium, quod superficies appellatur; tandem si hoc elevetur, aut deprimatur remanebit tertium aliud vestigium longum, latum, atque profundum, quod corporis nomine insignitur.

Primum vestigium est continuum, & divisibile secundum longitudinem, & quia est relictum ex puncto continuatur punctis. Vestigium secundum est longum, & latum, sed caret profunditate, & ideo est indivisibile secundum illam; divisibile autem secundum alias duas dimensiones, & quia relinquitur ex extensione lineæ continuatur lineis: tertium vestigium est longum, latum, & profundum, cuius partes continuantur superficiebus, quia relinquitur ex elevatione, & depressione superficiæ, quæ omnia his verbis explicat Divus Augustinus libro decem Categoriarum, c. 10. quantum vero sit, inveniri non potest, nisi fuerit adhibita mensura collectum. Si ergo omnia latitudine solam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo sine latitudine mensuræ subiectæ præcipue dicitur; non quod sit longitudo aliqua, quæ careat latitudine, sed quod solam quis me-

lii tiens